



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Decretum de Canonicis scripturis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

9

SESSIO QVARTA,
CELEBRATA DIE VIII. MENSIS
APRILIS, M. D. XLVI.

Decretum de Canonicis scripturis.

SACROSANCTA OEcumenica, & gene-
ralis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto
legitimè congregata, præsidentibus in ea
eisdem tribus Apostolice Sedis Legatis, hoc
sibi perpetuò ante oculos proponens, vt
sublatis erroribus, puritas ipsa Euangelij in Ecclesia con-
seruetur: quod promissum antè per Prophetas in Scrit-
pturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus, Dei filius,
proprio ore primùm promulgauit; deinde per suos Apo-
stolos tamquam fontem omnis, & salutaris veritatis, &
morum disciplinæ, a *et omni creatura predicari iussit*: per-
spiciensque hanc veritatem, & disciplinam contineri *in*
libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi
ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu
sancte dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque
peruenierunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta,
omnes libros tam veteris, quam noui Testamenti, cum
vtriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas,
tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel
ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & con-
tinua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari
pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, & veneratur. Sa-
cotorum vero librorum b Indicem huic decreto adscriben-
dum censuit; ne cui dubitatio laboriri possit, quinam
sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra-
scripti, y Testamenti veteris, quinque Moysi, id est, Genesis,
Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue,
Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon,
Eldæ primus & secundus, qui dicitur Nehemias, To-

b In cap. A-
post. c. 14.
In eccl. t. E-
pist. 1. c. 7.
Gel. f. 11. in
Cont. So. E-
pist. Cone.
Laudie. cap.
13.
Cone. Cartab.
3. cap. 4. 7. c.
sancta Ro-
manada.
1. & sine E-
pist. Eugen.
in conc. Flo-
rent. ad. A-
mensem.

A 5

bias.

bias, Judith, Hester, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaías, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zachiarias, Malachias, & duo Machabæorum, primus & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, due ad Corinthios, ad Galatos, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, due ad Thessalonicenses, due ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebreos: Petri Apostoli due, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudæ Apostoli una, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si e quis autem libros ipsos integros i cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canoniciis non suscepit; & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit; anathema sit. Omnes itaque intelligent, quo ordine, & via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimonii, ac præsidii in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus, sit vslra.

DECLARATIONES.

1. *Cum omnibus suis partibus.* I. Etiam dicendum est, quod ne vel periodus, vel una clausula, vel dictio aut syllaba, iotaue unum, repugnet in veteri vulgata lingua Latina Editione. Quo ad oppositiones autem contextus Græci aut Hebraici cum Latina vulgata editione, Cong. remisit ad tertiam regulam Indicis sub Pio Quarto editam.

Carthusiani obligati sunt vii veteri ac vulgata Editione sacrae Scripturæ secundum usum S. R. E.

Decre-